9 6

GRATULATIONIS
SIGNIFICATIO
EXHIBENDA
A CONGREGATIONE
SACERDOTUM SÆCULARIUM


In Domo Profess. Rom.
SOC. JESU


Illmo ac Rmo Dño Dño

CAROLO CAJETANO
STAMPA

Archiepiscopo Mediolanensi &c.

Ejusdem Congregationis olim
Sodali ac Patrono.





ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. 1738.
SUPERIORUM PERMISSU.

Illm̃o ac Rm̃o Dñ̃o Dñ̃o

CAROLO CAJETANO
S T A M P A

Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo.

Congregatio Sacerdotum Sæcularium in Domo Prof. Rom. Soc. Jeſu F.

VEremur, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Pręſul, ne Officium putetur Ambitio, & ne obſequentiſſimi eſſe dum volumus, appareat opinionem nos Hominum, exiſtimationemque venari: Intelligimus quippe perhonorificum nobis eſſe hac publica Gratulationis celebritate in medium proferre Mediolanenſem Antiſtitem, ac talem Antiſtitem noſtris exercitationibus interfuiſſe, &

noſtrum hunc Cœtum præſentia ſua ſemel, iterum, ac tertiò nobilitaſſe: Quid enim tam amplum, aut tam præclarum de nobis excogitari unquam poteſt, quam ab eo ornari, & in pretio aliquo haberi, cujus omnino exquiſitiſſima laus eſt ſive Generis Nobilitatem ſpectes, ſive Acta in gerenda Republica, ſive acceptum nuperæ Dignitatis Incrementum?

2. Profectò ad genus quod attinet Norunt univerſi clariſſimam in Italia gentem de Stampa jam inde uſque à temporibus Caroli Magni ex nobili ejuſdem Duce originem trahere qui Mediolani ſtetit, ibique trecentos unum, & ſexaginta annos vivens exegit, ut Heroum Parens veterum inſtar Patriarcharum conſuetæ metas vitæ præter ordinem excederet. Norunt ex ea Gente per conſequentem omnem ætatem prodiiſſe fortiſſimos copiarum Ductores, Integerrimos Principum Adminiſtros,

ſtros, viros demum omnis divini atque humani Juris conſultiſſimos, quos inter ſplendidiſſimum veluti Sidus emicat Jacobus Maria Stampa quem *Senatorum Florem*, *Patriæ ornamentum*, *veræ Amicitiæ Firmamentum* ſuo certo ac proprio Vocabulo Cives nuncuparunt. Quamobrem jure omnes exiſtimarint Gentis hujuſce Prolem Heroas illos Parentes agnoſcere, qui virtutum electiſſimarum exemplo Nepotibus præiverint, & rerum geſtarum gloria Italiam quam qui maximè commendaverint.

3. Verùm ſi parvi quis fecerit quod proprium non eſt, aut propterea hæc à nobis narrari putet, ut juxta S. Hieronymi Doctoris Maximi effatum *quod in Virga non poteſt, in radicibus domonſtretur*; Is recolat memoria nobiliſſimas Legationes quibus Carolus Cajetanus Stampa tum apud Magnum Etruriæ Ducem, tum apud Sereniſſimam Venetiarum Rempubli-

cam pro Sede Apoſtolica functus eſt, ac planè cognoſcet tanti Viri in perturbatis arduiſque negotiis explicandis Prudentiam, in capeſſendis conſilium, in agendo verò, tractandiſque hominum ingeniis dexteritatem propè ſingularem, quibus ille dotibus cum innocentia Vitæ, Moderatione ac Pietate conjunctis, & rei quam gerebat publicæ optimè conſuluit, & ſibi apud omnes ordines benevolentiam, venerationemque conciliavit: Fuerit olim ſapientum opinio: *Difficillimam eſſe illam Societatem Gravitatis cum Humanitate*, conſtans ea viſa eſt, ac peculiaris Oratori Pontificio, adeo ut neque facilitas de Auctoritate, neque ſeveritas quidquam de ſuavitate detraheret: Diuturnitas Præfecturæ non rarò Hominis ſatietatem, & faſtidium creat; Factum eſt Venetiis Pontificii Legati virtute, ut quo diuturnior erat ipſius mora, eò prudentiſſimi Senatores ſuſpicerent illum ma-

magis: Scilicet non ad speciem illi inerat virtutis fictæ Imago, quæ statim exolescit; sed veræ solidæque, quæque temporis diuturnitate se maximè produnt Animi dotes: Hæc qui sedulò expenderit, præsertim si illa publica iis munera adjecerit, quæ idem benè compositèque administravit sive ditionis Ecclesiasticæ Civitatibus cum præfuit, sive in Urbe ipsa Sacræ Cardinalium Congregationi à secretis, Episcoporum, ac Regularium bono cum prospexit, intelliget profectò hunc egregiis ortum majoribus, non sub umbra, ut ajebat Seneca, suorum latere, sed rebus præclarè gestis vetustissimi generis splendorem latius diffundere.

4. Hùc accedit laudum tantarum cumulum commendabiliorem reddi ex accepto nuperæ Dignitatis Incremento: Dignitas nimirum Mediolanensis Archiepiscopi tanta est ut tenuem etiam & humilem hominem vel sola in

immensum extolleret: Hæc enim amplissimum in Ecclesiastica Hierarchia locum obtinens Italiam ornat, atque antiquissima ac recentia Catholicæ Religionis sæcula memorabilibus fastis illustrat: Hæc Jus constituendi inaugurandique Italiæ Reges non Longobardicis tantum, sed & Francicis, & Saxonicis, Svevicisque temporibus Pontificio ac Cæsareo Diplomate obtinuit: Hæc eò devenit fastigii ut Mediolanensis multarumque aliarum Urbium dominatum exercuerit, Reges atque Imperatores ipsos sibi obsequentes viderit, cum Ravennate Archiepiscopo, quando ejus Authoritas maximè florebat, de Principatu certaverit, & suos inter Præsules Ambrosium, Galdinum, Carolum aliosque ferme supra triginta in Sanctorum Album relatos conspexerit. Statuat propterea & judicet unusquisque quanti æstimandus is fuerit qui sua & Majorum laude spectatissimus, plurimis

rimis maximisque in rebus probatissimus tantæ nuper Dignitatis acceperit Incrementum: Præsertim cum à CLEMENTE XII. illud acceperit, cujus sanctissimis moribus probari, ac beneficio frui certissimum est consumatæ virtutis Argumentum atque Indicium, & secundùm Benedictum Cardinalem Odescalchum illud acceperit, cui succedere quemadmodum oneri esset alteri, ita huic, quem pias religiosissimi Prædecessoris preces à Deo impetrasse conjicimus, paris meriti locupletissimum est Testimonium: Præclarum enimvero putamus facturos omnes de Viri præstantia judicium, cui nostrum interponentes in ea nos sumus sententia ut ex nuperæ Dignitatis accessione Carolus Cajetanus Stampa talis emineat, qualis Gigas emineret si in monte consisteret.

5. Veremur proinde (ut ad initium revertamur) ne officium putetur Ambitio, & ne obsequen-

tiſsimi eſſe dum volumus, appareat opinionem nos hominum, exiſtimationemque venari. Quid ergo? A debita obſervantiæ ſignificatione abſtinebimus? Abſit ut metus adverſæ ſuſpicionis nos cogat ab officio, inſtitutoque diſcedere: Stat illud apud nos, ſtabitque ſemper quod olim pronunciaverat Cicero: Videlicet: *In officio colendo ſita vitæ eſt Honeſtas omnis, & in negligendo Turpitudo*: Quamobrem ſatius duximus minus bellè apud aliquos audire, quàm ab officio & honeſtate declinare. Exigit gratus Animus, ac memor beneficii ut publica gratulatione de Mediolanenſium fœlicitate lætemur, ac tibi addictiſsimos in primis nos eſſe apertè ac palam profiteamur. Id præſtamus has Tibi de Hiſtoria Eccleſiaſtica, has de facultate Canonica Theſes dum inſcribimus: Te verò, Præſul Illuſtriſsime ac Reverendiſsime, hanc qualemcumque noſtræ obſervantiæ teſtifica-

ficationem non aspernaturum singularis qua es humanitas pollicetur; Proprium est enim summis viris, ut nihil eorum fastidiant, quæ exigua sint licet, gratum tamen & officiosum animum probant.

THESES

Ex Historia Ecclesiastica.

1. *AN S. Barnabas fuerit primus Mediolanensium Antistes*, qua de re nonnulli ex recentioribus dubitare cœperunt ex eo quod neque in S. Ambrosii Mediolanensis, neque in S. Gaudentii Brixiensis operibus ullus inveniatur locus, ubi suarum illi respectivè Ecclesiarum laudibus arrogent prærogativam Cathedræ ab Apostolo Barnaba institutæ?

2. *An Canticum Te Deum laudamus fuerit Mediolani à S. Ambrosio & S. Augustino compositum* Quod negant nonnulli pariter ex Recentioribus; illudque ajunt composi-

tum à Monacho quodam Benedictino, Sisebuto nomine?

THESES

Ex Facultate Canonica.

1. *AN Archiepiscopus possit cognoscere de Causis Subditorum suorum Episcoporum Suffraganeorum extra casum Appellationis, & quando ratione consuetudinis, aut Privilegii specialem jurisdictionem non obtinuerit*: Videtur enim *quod non*, quia contra est aperta decisio Innoc.III. in *Cap. duo simul de off. Jud. Ord.* apud Gonzalez. Videtur autem *quod sic* quia Archiepiscopus in tota sua Provincia, & Primas in universo suo Primatu absolutam obtinent jurisdictionem: ex Can. 34. Apostolor.?

2. *An Archiepiscopus possit corrigi, & excommunicari à Concilio Provinciali suorum Suffraganeorum.* Siquidem ex una parte videatur respondendum *negativè* quia Archie-

chiepiſcopus eſt Caput Concilii Provincialis, & ſuis membris non debeat ſubeſſe Caput. *Ex Cap. cum non liceat de Præſcript.*: Ex alia verò parte videatur reſpondendum: *Affirmativè*: quia Concilium Provinciale adeo majus eſt Archiepiſcopo, ut ab hoc appelletur ad illud: ut conſtat ex D. D. cit. à Navarro l. 1. conſil. 7

DE RITU AMBROSIANO

Brevis Diſſertatio.

1. SAncta Mediolanenſis Eccleſia in officio, & Miſſa aliiſque ſacris functionibus Ritum ſervat Ambroſianum, qui multum differt ab eo quem Romana ſervat Eccleſia: Hujus Author uti aſſerit Joſeph Vicecomes lib. 2. *De Rit. Miſſæ* fuit S. Barnabas Apoſtolus, auxit deinde illum S. Mirocletes, poſtremò illuſtravit S. Ambroſius, atque idcirco Ambroſianus poſt ejus deceſſum dici cœpit, cumque de illo abolendo age-

ageretur, fuit eodem Vicecomite teste cum Ughellio divinitus miraculis confirmatus.

2. Cum enim, inquit Ughellius, Imperante Carolo Magno Hadrianus Rom. Pontifex eo nomine I. Imperatoris ipsius præsentis authoritate ad tollendam Rituum varietatem uteretur, ac proinde Romanum Ritum Mediolani constituere contenderet, Sanctus quidam Præsul Gallus nomine Eugenius qui cum Cæsare Romam forte venerat, Ambrosiani Ritus Patrocinium suscepisse fertur, ac divino monitu talem proposuisse divinæ voluntatis explorandæ rationem. Siquidem ipso annuente Pontifice Missales libri Gregorianus pariter, & Ambrosianus supra Aram maximam B. Petri positi fuere, & occlusis Templi foribus, fusæ sunt interea preces ad Deum ut quod optimum esset indicaret, mane foribus reclusis deprehensa sunt Gregoriani libri folia per Templum di-

disjecta, sparsaque: Ambrosiani verò libri per mensam Altaris dumtaxat dispersa: Ex eo itaque Patres significari dixerunt, Gregorianum quidem Ritum totum in Orbem disseminandum, Ambrosianum verò sua dumtaxat in Mediolanen. Ecclesia, ac Diœcesi retinendum, prout factum est. Hactenus Ughellius.

3. Porrò Ritus ejusmodi *quoad Missam* longior est quam Romanus, & ut observat Gavantus, Græcæ liturgiæ magis adhæret: Multa peculiaria habet quæ fusè recenset Card. Bona l. 1. cap. 10. rerum liturgicarum: Ea inter notatu dignum est quod Ambrosiani nunquam dicunt *Agnus Dei*, nisi in Missa pro Defunctis: Textus Scripturarum quas legunt in Missa non semper congruit cum editione vulgata; in his enim, & præsertim in psalmis utuntur peculiari versione, quæ antiqua & Italica nuncupatur, cujus integrum corpus, teste Card. Bona, nul-

nullibi extat, solumque psalterium remansit cum canticis. Præterea per totam Quadragesimam Ambrosiani nullam habent Missam pro Feria sexta, nec celebrant ea die, cum plena illa mœroris sit ob Christi Passionem ut expendit S. Carolus in Synodo undecima Diœcesana. Celebrans solemniter in Metropolitana medius inter Diaconum & Subdiaconum oblationes Panis & Vini more antiquo recipit quas duo Senes de Schola quam vocant Sancti Ambrosii, Senibus cæteris comitantibus, offerunt; Idemque descendens ad ingressum Chori inferioris recipit Mulierum oblationes quas duæ item Seniores iisdem cæremoniis offerunt. Sunt & alia quamplura quæ ad Sacrificii ornamentum specialiter ab hac insigni & antiquissima Ecclesia observantur, sed hæc innuisse sufficiat.

4. *Quoad officium seu* Horas Canonicas Ritus Ambrosianus antiquior

quior eſt Romano, ſiquidem illum S. Ambroſius ejuſque Prædeceſſores inſtituerunt, hunc autem Gelaſius vel S. Gregorius Papa qui ambo poſt S. Ambroſium floruere, ut notat Joſeph Vicecomes, à quo etiam accepimus Antiphonas primum à Græcis fuiſſe introductas, apud Latinos autem ab eodem S. Ambroſio primum fuiſſe Horis Canonicis interjectas, unde conſtat Romanum Ritum *quoad officium* plura deſumpſiſſe ex Ambroſiano. Obſervat autem Card. Bellarminus conſuetudinem Antiphonarum apud Latinos introductam quidem fuiſſe à S. Ambroſio, ſed hoc intelligendum taxativè de ſolo officio Eccleſiaſtico: Nam in Sacrificio Miſſæ Antiphonas, ſeu quod idem eſt, modum canendi pſalmum alternatim tradidit Cæleſtinus Papa ut in ejus vita legimus. Extant etiam ipſius S. Ambroſii Hymni pro ſingulis Horis Canonicis ut refert Bellarminus,

quam-

quamvis ad Tertiam, Sextam, & Nonam iisdem hymnis utatur Ambrosiana quibus utitur Romana Ecclesia. Psalterium dividunt Ambrosiani in duas partes. Alteram à psalmo primo ad 109. *Dixit Dominus &c.* nocturnis vigiliis, alteram usque ad finem diurnis Horis assignant, atque in hujus secundæ Partis distributione sequuntur omnino Rom. Ecclesiam, secus verò in distributione primæ partis. Adamussim omnia ad hujusmodi officium pertinentia exponit Card. Bona de *divin. Psalmod.*, quem consulas si lubet: Duo tamen minimè præteream primum est quod regulariter Ambrosiani tres tantum recitant lectiones, at Feria sexta in Parasceve legunt novem lectiones, quarum tres ultimæ sunt integræ Passiones Secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem: Alterum est quod iidem habeant quasdam vesperas de Sanctis Patronis, & Titula-

tularibus Ecclesiarum, quæ dicuntur cum vigiliis, in quibus post primam orationem dicitur primus psalmus, tum legitur una lectio de vita illius Sancti cum suo Responsorio, & post aliam orationem dicto secundo Psalmo legitur alia lectio cum suo item Responsorio: Denique dicto Cantico *Magnificat* cum psallendis cantantur Litaniæ cum quibusdam orationibus &c. Vide Card. Bona loc. cit.

5. Præter Ritum Missæ, & officii plura etiam alia peculiaria habent Ambrosiani concernentia Ecclesiasticam disciplinam; nam tempore S. Ambrosii quoad Quadragesimam servabatur Mediolani usus Græcorum de Sabbato non jejunando; etenim S. Ambrosius in lib. de Elia, & Jejun. cap. 10. ita habet *Quadragesima totis præter Sabbatum, & Dominicum, jejunatur diebus*: Addebatur tamen alia Quadragesimæ Hebdomada quæ eumdem, aut fere eum-

eumdem ac nunc apud nos pro Jejunio explebat numerum 40. dierum. Nam teste Card. Bellarmino lib. 2. de bonis operibus in particulari cap. 15., in Ecclesia Catholica omnibus sæculis tum apud Græcos, tum apud Latinos Jejunium Paschale fuit dierum quadraginta aut ferè quadraginta: Addit infra idem Card. qui *jejunare volebant quinquagesimam pro Quadragesima, ii volebant secundum Ritum Græcorum non jejunare die Sabbati: Sic enim detractis Sabbatis, & addita una hebdomada redit idem numerus dierum, quibus jejunatur &c.* Cœterum cum hic mos non placuerit Ecclesiis Latinis, & idcirco mandatum sit à pluribus Conciliis, ut omnes jejunent Sabbata Quadragesimæ; exolevit quidem apud Mediolanensem Ecclesiam talis Mos, sed ipsa non recepit additionem factam quatuor dierum ante primam Dominicam ut videlicet substituerentur in locum Domini-

carum

carum quibus non jejunamus, & compleretur numerus quadragenarius: Verùm Ipsa jejunat triduum Litaniarum minorum sivè ut vocant Rogationum, ac propterea ex antiquo Ambrosiani Ritus instituto eæ in Ecclesia Mediolanensi celebrantur in Hebdomada post Ascensionem Domini, siquidem tempore illo labente inter Pascha & Ascensionem jejunia non usurpentur ab Ecclesia: Pariter ineunte eo triduo servatur cæremonia sacrorum cinerum quibus tam Clerus quàm Populus per manus Sacerdotis aspergitur; ut Fit apud Rom. Ecclesiam Fer. IV. quinquagesimæ. Adventus habet sex septimanas, & incipit Dominica post Festum S. Martini ex Azor. l. 7. inst. c. 25. Baptismus ministratur per immersionem; antiquissimus enim hic mos apud Ambrosianos perpetuò retentus est, ab eoque non recedendum præcepit S. Carolus; nisi imminens Mortis periculum in-

instaret &c. In Festo Epiphaniæ, uti docet Galesinus ad notas Martyrologii, celebrant Ambrosiani quatuor Mysteria, sicuti olim Africana celebrabat Ecclesia, nempè Baptismum Christi, Conversionem Aquæ in Vinum, Adventum Magorum, & miraculum quinque panum, & duorum piscium: Præterea nocte præcedenti maximo Populi concursu cantant officium Matutinum ut in Nocte Natalis Domini, accensis more Græco multis luminibus.

6. Demum Ambrosianus Ritus, quamvis olim observaretur, teste Josepho Vicecomite, non solum Mediolani & in ejus Diœcesi, sed etiam per totam Liguriam Subalpinam & Maritimam, imò ejusdem observantia extenderetur ad Bononiensem & Faventinam Ecclesiam; Hodie tamen Pars non exigua Diœcesis amplexa est Ritum Romanum, imò in ipsa Civitate ferè omnes Regulares Romanum Ritum tenent: & quamvis laudatus Jo-

Falsus de Cistra = — entibus S. Ambrosii

Joseph Vicecomes asserat factam esse ab antiquis Pontificibus potestatem unicuique amplectendi Ritum Ambrosianum, hoc tamen non crediderim habere locum post Bullam S. Pii V. *Quod à nobis &c.* & idcirco non satisfaceret præcepto recitandi Horas Canonicas, qui obstrictus recitare more Romano, recitaret more Ambrosiano etiamsi recitaret pro uno tantum die: Ex Castrop. tom. 2. tr. 7.: Contra verò putant nonnulli posse addictum Ritui Ambrosiano recitare uno vel altero die juxta Ritum Romanum, sed huic assertioni obstat lex S. Caroli qui sancivit ne qui Ambrosiani sunt alio quam Ambrosiano Officio uterentur ex Synod. 2. Decret. 5.: obstat etiam fortasse & illa ratio adducta à Cardin: Bellarmino de bonis Operibus l. 1. cap. 18. scilicet, quoniam quemadmodum Clericus quia Ecclesiæ mancipatus atque addictus est ad Officium Ecclesiasticum obli-

obligatur, sic etiam quia tali Ecclesiæ ratione Beneficii addictus est, talis Ecclesiæ Officium recitare tenetur, nec potest nisi necessitas exigat per aliud alterius Ritus suo oneri satisfacere. Dixi *fortasse* obstat; nam quando sermo est de Ritu Romano, cum Romana Ecclesia sit Mater omnium Ecclesiarum, & expediat omnes se illi conformare docent probabiliter Sententiam præcedentem oppositam Cajetan. v. Hor. Can. n.6., Lessius l.2. cap.37. dub.12., Sanchez Consil. Moral. l.7. cap.2. dub. 23. Rodriquez qq. regul. resol. 24. aliiq., & quamvis S. Pius V. ad mutationem Ritus proprii requirat consensum Episcopi & Capituli; id tamen notat Tamburinus de Hor. Can. procedere respectu Chori, & respectu publicæ ac stabilis mutationis, non autem respectu mutationis privatæ, ac per accidens.

7. Dubitabit hic aliquis quinam censendus sit addictus Ritui Ambro-

brosiano? ℞. Præmittendo in primis utrumque Ritum Ambrosianum & Romanum esse *Ritum Latinum*, quamvis Ambrosianus, ut dixi, multum sapiat Græci Ritus; etenim in Ecclesia Occidentali unicus servatur *Latinus Ritus* teste Card. Bona l. 1. Liturg. cap. 7.

Præmitto 2. Latinum Ritum dividi in Romanum & Ambrosianum dumtaxat, si presse ac strictè loquamur; nam cæteri Ritus Latini, seu omnes alii sivè Sæculares sivè Regulares qui habent Missale Latinum proprium, ac Ritus quosdam proprios diversos à Romano non censendi sunt in rigore constituere Ritum distinctum à Romano, nec Ritum peculiarem inducere; nam docet Card. Bona in loc. cit. diversitatem eorum non esse tantam ut Ritus eorum *Specificè*, ut ita dicam, differant à Romano, sed solùm *numericè*.

8. His præmissis: Ut quis censeatur obstrictus Ritui Ambrosia-

no non satis est ut sit ex Ritu Latino; nam omnes servantes Ritum Latinum paucis dumtaxat exceptis, Pipino, & Carolo Magno Regnantibus propriis usibus relictis Romano uti cæperunt: ex Card. Bona: item non satis est ut sit Origine Mediolanensis; nam multi Regulares, imò etiam Sæculares Sacerdotes origine Mediolanenses non habentes Beneficium, & ordinati ad solum titulum Patrimonii nec adscripti Clero Ambrosiano non censentur obstricti Ritu Ambrosiano: ex Card. Bellarmin. l. 1. cap. 18. de bonis Operib.: item non satis est ut subsit Jurisdictioni Spirituali Diœcesani Mediolanensis; nam non exigua Pars Diœcesis Mediolanensis licèt subsit tali jurisdictioni, tamen observat Ritum Romanum, uti testatur ipse Joseph Vicecomes inquirens causas, cur id factum fuerit, & Longobardis Regibus eas partim ascribens, & partim diversitati Diœcesis, quam

olim

olim ea loca constituebant.

9. Quare distinguendum puto pro majori claritate inter hoc quod est: Esse Addictum & obstrictum Ritui Ambrosiano in ordine ad Missam & Officium; atque esse addictum & obstrictum eidem Ritui in ordine ad consuetudines, Iejunia &c. Hac verò distinctione posita: Censeo 1. Illum esse addictum Ritui Ambrosiano in ordine ad Missam & Officium, qui habet Beneficium in ea Parte Diœcesis Mediolanensis, in qua servatur Ritus Ambrosianus, vel vivit in aliqua Communitate tanquam Pars illius, in qua custodiatur adhuc post S. Pii Constitutionem idem Ritus Ambrosianus, Vel Sacris Ordinibus initiatus, adscriptus est juxta dispositionem Tridentini sess. 23. cap. 16. Statuentem ut quilibet Clericus in sui ordinatione alicui certæ Ecclesiæ addicatur, adscriptus, inquam, est Clero Ambrosiano. Ita collig. ex Bellarm. loc. cit. Ratio

 est

est quia addictus alicui Ecclesiæ, vel alicui cœtui, intelligitur addictus Ritui quem profitetur illa Ecclesia vel ille cœtus; cum autem per Beneficium in aliqua particulari Ecclesia, vel per vitam & Professionem in aliqua Communitate, vel per addictionem alicui certo Clero judicetur quis addictus tali Ecclesiæ vel tali Communitati, aut Clero sequitur ut etiam sit addictus Ritui ejusdem Ecclesiæ & Communitatis, Cleri, & consequenter &c.

10. Confirmatur ex Synodo Diœcesana II. Decret. 6. S. Caroli, ubi S. Archiepiscopus dilucidè idipsum explicat. En ipsius verba: *Illud universis & singulis iis Clericis, qui Ambrosiano more Divina Officia obire debent*; vel quia (ecce rationem formalem) *Ecclesiastica Beneficia obtinent, in quibus hoc ipso Ritu, moreque ipsa dicuntur, vel quià ipsi addicti sunt Ecclesiis eodem Ambrosiano Ritu utentibus, vel quia Sacris Ordinibus initiati in hu-*

jus

jus Urbis aut Diœcesis Clero adscripti sunt; iis edicimus atque jubemus &c. Ex quibus verbis liquidò constat unam ex triplici enumerata qualitate sufficere ac requiri ut quis censeatur addictus Ritui Ambrosiano *quoad Missam & Officium*.

11. Censeo 2. Illum esse addictum Ritui Ambrosiano in ordine ad consuetudines, jejunia &c. qui est addictus eidem Ritui in ordine ad Missam & Officium, ac pariter illum qui domicilium fixum ac stabile habet in locis seu Parochiis in quibus servatur Ritus Ambrosianus; nec est Membrum alicujus Communitatis, in qua non servatur talis Ritus, sivè Laicus sit, sivè Clericus. Prima pars est certa: Altera Pars suadetur ex Praxi, & ex Suarez de Sacram. disp. 44. ubi docet per tale domicilium reputari Hominem Membrum ejus Ecclesiæ in qua habet domicilium, ac debere illi se conformare. Excipe nisi adsit speciale Privilegium in contrarium

respectu unius vel alterius. Addidi *nec sit Membrum alicujus Communitatis in qua &c.* ut indicarem eos Religiosos qui habentes domicilium Mediolani, nihilominus non sunt obstricti Ritu Ambrosiano, neque in ordine ad Divina Officia, neque in ordine ad consuetudines &c.

Dubitabit 2. An obtinens Beneficium valdè tenue, & non sufficiens ad tertiam partem congruæ sustentationis in Ecclesia Ambrosiana censeatur addictus ejusmodi Ritui? R. Videri quod non: 1. Quia Beneficium tenue reputatur in jure pro non Beneficio siquidem fructus exigui reputantur nulli juxta illud *Parum pro nihilo reputatur*, favetque textus *Cap. 15. cui de præb. in 6.*: 2. quia tale Beneficium non parit onus ad recitationem Divini Officii, ergo neque ad recitationem *talis* Officii seu sub tali Ritu: 3. quia Clericum esse deputatum alicui Ecclesię non stat præcisè in eo quod quis habeat Bene-

nefi-

neficium, sed quod habeat Beneficium specialiter datum ad inserviendum tali Ecclesiæ, vel annexam habens obligationem inserviendi tali Ecclesiæ: collig. ex Suarez to.2. de Relig. l.4. cap.10. n.11. Potest autem Beneficium aliquod esse adeò tenue ac simplex, ut ad nullum servitium specialiter detur, & ad nullum obliget, & consequenter qui illud obtinet non censeatur deputatus & addictus tali Ecclesiæ.

Nihilominus verius puto obtinentem in Ecclesia Ambrosiana quodcumque etiam tenue Beneficium censeri addictum Ritui Ambrosiano. Ratio mihi est quia ex communi Sententia extra effectum suscipiendi Ordines per quodcumque etiam tenue Beneficium constituitur quis Subditus ejus Episcopi in cujus Diœcesi est Beneficium: ex Barbos. de Offi. Ep. alleg. 4. n. 44. del Bene de Imm. cap. 12. dub. 7. sect. 7. Innoc. XII. In Bulla *Speculatores*:

 Ergo

Ergo à pari per quodcumque etiam tenue Beneficium constituitur quis Pars seu Membrum ejus Ecclesiæ in quo est Beneficium; nam ideo primum quia textus Canonici ad constituendum Subditum non explicant valorem & qualitatem Beneficii, sed simpliciter ac generaliter loquuntur de Beneficio: Atqui etiam Doctores, & S. Carolus ut supra ad constituendum aliquem addictum alicui Ecclesiæ non explicant qualitatem Beneficii, sed generaliter loquuntur de Beneficio, ergo &c.

Neque obstant adducta in contrarium: Non 1. quia Beneficium quamtumvis tenue, verum Beneficium est, cum sit jus percipiendi fructus ex speciali titulo: Non 2. quia Beneficium etiam tenue probabilius obligat ad Officium: ex Castrop. Suarez, Navarro, Bonacc. aliisque: Non 3. quia ibi Suarez explicat ly *deputatum Ecclesiæ* juxta Textum Cano-

nonicum loquentem ad effectum psallendi in Choro, non quoad cœteros effectus. Non negarim tamen contrariæ Sententiæ suam inesse probabilitatem, si Beneficium fuerit tenuissimum non perveniens ad tertiam partem Congruæ Clerici ordinarii.

13. Dubitabit 3. An Ambrosianus veniens Romam ad breve tempus peregrinationis causa teneatur Divina peragere Ritu Romano? ℞. non teneri, sed posse uti Ritu Ambrosiano cum consensu & facultate Rectorum ejus Ecclesiæ in qua vult Divina peragere, quam facultatem ipsi præstare debent si nulla rationabilis causa obstet, ita coll. ex Suarez cit. disput., & ex Verricelli de Apost. Mission. q. 138. Ratio est quia opinio est satis probabilis, eum qui per locum aliquem transit non teneri per se loquendo & secluso scandalo ad consuetudines ejus loci. Dixi *cum consensu & facultate Rectorum &c.* nam isti jus habent

 ne

ne quidquam innovetur sine suo consensu in locis suæ jurisdictionis. Dixi etiam *quam facultatem dare debent*, *nisi &c.* nam præfati Rectores nequeunt per negationem veluti improbare Ritum quem Romana Mater Ecclesia permittit & probat.

14. Dubitabit 4. An Sacerdos Romanus transiens per Mediolanum possit in Metropolitana, vel alia Ecclesia Ambrosiana Divina peragere Ritu Ambrosiano? ℟. Cum distinctione vel talis Sacerdos est communis, vel est Religiosus alicujus Ordinis, cujus Monasterium Romani Ritus sit in Civitate Mediolani? Si primum: Potest: ita Verricelli de Apost. Mission. q. 138. Tamburin. Method. Sacrif. lib. 2. cap. 2. n. 19. La Croix de Missa n. 368. Ratio est: quia Hospes licitè se accomodat legitimæ consuetudini loci in quo est quoad præcepta Ecclesiastica: Neque obstat Bulla S. Pii V., nam ipse non revoca-

vit

vit jus commune, quo poteſt Advena ſe conformare conſuetudini Diœceſis per quam tranſit.

Si Secundum: Non poteſt: Ita Tamburin, ac Verricelli loc. cit. Ratio eſt, quia cum in Eccleſia talis Ordinis ſervetur Ritus Romanus, & ipſe ſit Membrum talis Ordinis, illi ſe debet conformare; Eſt enim perinde acſi eſſet in loco Ritus Romani: Neque obſtat quod celebret in Eccleſia Ambroſiani Ritus, nam cum extet Eccleſia Communitatis Romanæ, & talis Sacerdos ſit Pars hujus Communitatis, huic ſe debet accomodare.

16. Ex dictis inferes idem proportionaliter dicendum eſſe de Sacerdote Mediolanenſi ſeu Ambroſiano alibi hoſpitante: Quare ſi hic fuerit Romæ poterit accomodare ſe Ritui Romano, nec obſtabit Præceptum S. Caroli, de quo ſupra meminimus, nam tale Præceptum non obligat exiſtentes extra territorium Præcipien-

tis, ac tritum est peregrinos non obligari legibus sui domicilii si tales leges non obligent in loco ubi morantur vel transeunt.

17. Advertas tamen hactenus dicta de Peregrinantibus non procedere in Ritu universali Ecclesiæ Latinæ aut Græcæ respectivè *quoad Azimum, vel Fermentatum*; Siquidem Latinus Hospes in Græcia nequit in Templo Græcorum consecrare in fermentato, nam sic consecrare est quasi speciale Privilegium concessum ipsis Græcis & lex ista de azimo & fermentato sic est specialiter recepta à Subditis, ut unusquisque morem suæ Ecclesiæ in qua habet domicilium servet. Ita Vasquez disp. 174. cap. 3. Aversa de Euca. quæst. 2. sect. 4. contra Verricelli de Apost. Miss. q. 138., & contra Dianam tom. 10. tr. 16. res. 39.

18. Dubitabit 5. An Peregrini venientes ad breve tempus Mediolanum possint se conformare Ritui Ambrosiano quoad jejunia, aliasſ-

aliasque consuetudines ? ℟. In primis damnandam esse ex intemperantia, uti damnat, & improbat S. Carolus, illorum Ingluviem, qui primis quatuor Quadragesimæ diebus Romanæ Ecclesiæ more institutis, Mediolanum se conferunt Patriæ Ritum in jejunio, & ciborum abstinentia fugientes. Deinde ad quæsitum ajo posse eos sine lęsione legis de jejunio se moribus loci in quo sunt conformare; nam ex communi, nisi aliud obstet, possunt Peregrini uti Privilegio & favore loci ad quem deferuntur: Et quidem ajo *posse* etiamsi de industria Mediolanum veniant, ut evitent Jejunium quod viget in propria Patria, quia exeundo è loco ubi adest Præceptum fugiunt Præcepti onus, sicut ii qui dispensationem petunt, non autem violant: Accedit quod in fraudem legis non agit *qui utitur jure suo*, sed qui egreditur in aliquem locum etiam ex dicto fine, utitur jure suo,

quia

quia egressus ex hoc fine ipsi nuspiam reperitur esse prohibitus: Ergo &c. Neque obstat quod secus dicendum sit de eo qui de industria transit ad locum ubi non est receptum Tridentinum ut videlicet sine Parocho & testibus contrahat; nam disparitatem assignat Card. de Lugo resp. mor. lib. 1. cons. 36. quem videas si lubet. Quare damnanda profectò est, ut dixi, eorum Ingluvies qui sic agunt; res est enim Christiano homine prorsus indigna, siquidem ut rectè docet S. Crisostomus hom. 44. *Nihil est gula perniciosius, nihil ignominiosius*: Attamen haud censendi sunt violatores Jejunii, qui ita operari velint.

19. Dubitabit 6. An Ambrosiani diebus quibus ex proprio Ritu jejunare tenentur possint adire Monasterium exemptum Romani Ritus Mediolani existens, & sic evitare suam obligationem jejunii? ℞. Non posse, quia cum in ea Civitate sint duæ veluti commu-

munitates altera Ritus Ambrosiani, altera Romani, & cum Ambrosiani sint Pars seu Membrum prioris Communitatis, non autem secundæ sequitur quod teneantur se conformare priori Communitati, non autem secundæ: Ita Verricelli q. 138. n. 7. Neque valet Regula supra data de Peregrinis exeuntibus Territorium ubi lex viget, nam adeuntes ejusmodi Monasterium non exeunt Territorium legis Ambrosianæ eos obligantis. Adde quod juxta Suarez de Censuris disp. 5. sect. 4., & Castropalaum de leg. tract. 3. disp. 1. p. 24. sect. 5. Monasteria Regularium, in quibus sui Superiores Jurisdictionem non habent quasi Episcopalem in Personas alias distinctas à suis Religiosis non sunt *propriè* loca exempta ita ut aliæ Personæ Subditæ Episcopo ibidem transgredientes legem Episcopalem non fiant culpabiles, unde recte inquit Suarez: *Intelligendum censeo per locum exem-*

exemptum, non Ecclesias, aut Monasteria Religiosorum exemptorum, quæ nonnisi ratione talium Personarum exempta vocantur &c.

Et consequenter accedentes ad talia Monasteria Sæculares, aliique addicti Ritui Ambrosiano non excusantur à jejunio indicto per Ritum Ambrosianum: Limites: Nisi conscientiam sibi efforment ex opinione asserente Privilegium exemptionis competens Monasteriis Regularium *quæcumque ea sit*, quoad jurisdictionem ordinariorum, suffragari etiam aliis Personis ibi existentibus, quæ opinio aliquibus videtur non improbabilis apud Peyrin. tom. 1. Privil. Const. 2. Sixti IV.

Dubitabit 7. Quare S. Carolus addictissimus Ecclesiæ Romanæ, fuerit Ambrosiani Ritus retinentissimus? R. Rationem dari ab ipso S. Carolo in Sacramentali Ambrosiano ubi sic habet: *Nobis in hac Archiepiscopali Vigilia versantibus, ea præter cæteras una proposita*

ta est solicitudo, ut quam Ecclesiæ hujus hæreditatem sacram, jam olim Ambrosius Sanctissimus à Beatæ memoriæ Archiepiscopis Miroclete, Eustorgio, & Dyonisio acceptam se conservaturum dixerat, eam deinceps ab ipso Ambrosio Patre auctam, & perpetuo Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ Matris consensu retentam, & Religiosa consuetudine, usuque Prædecessorum nostrorum, constantissimè conservatam, nos pariter Deo bene juvante, integram non modo servemus, verum etiam si quam ejus partem, vel negligenter omissam, vel certè aliquo modo parum cultam animadvertimus, diligentissimè itidem & restituamus & excolamus.

Hactenus de Ritu Ambrosiano, de quo plura extant elogia apud cit. Vicecomitem: Ad extremum observandum est ex Ughellio: *Hoc ad Mediolanensis Ecclesiæ Dignitatem pertinere vel maximè, quod in ipsa Italia, atque adeo in Apostolicæ Romanæ Sedis vicinia constituta, Ritum tamen in*

Sa-

Sacris proprium, ac peculiarem nihilosecius retinet, instar Ecclesiarum Orientalium, quæ ab ipsa Orbis terrarum Principe Romana Ecclesia longissimo itinerum intervallo disiunguntur: Atque id sanè fuit causæ cur Mediolanensi Archiepiscopo nos obsequentes hanc qualemcumque de Ritu Ambrosiano institueremus dissertationem; nam sicuti multum rogat, qui causas rogandi affert; ita non parum obsequitur Viro prętantissimo, qui ea quæ sunt ipsi perhonorifica, quæque ab aliis obsequium exigunt, si minùs appositè, at certè ex animo commemorat.

San-

Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ

SANCTI ANTISTITES

Ex Ughellio.

S. Barnabas Apostolus. Anno Christi 40.
S. Anathalonus Græcus. Anno Christi 47.
S. Cajus Sergius Romanus. Anno 61.
S. Castritianus Mediolanensis. Anno 97.
S. Kalimerus Græcus. An. 138.
S. Monas Mediolanensis. Anno 193.
S. Maternus Mediolanen. An. 282.
S. Mirocles Mediolanen. An. 303.
S. Eustorgius Græcus. An. 315.
S. Protasius. Ann. 331.
S. Dionysius Mediolanensis. An. 352.
S. Ambrosius Romanus. An. 374.
S. Simplicianus Mediolanen. An. 398.

S. Ve-

S. Venerius Mediolanen. An.400.
S. Marolus Syrus. An.409.
S. Martinianus Mediolanen. An. 424.
S. Glycerius Mediolanen. An.432.
S. Lazarus an. 438.
S. Eusebius Mediolanen. An.449.
S. Geruntius Mediolanen. An.465.
S. Benignus Mediolanen. An.470.
S. Senator Mediolanen. An.480.
S. Laurentius Mediolanen. Ann. 490.
S. Eustorgius Græcus. An.512.
S. Magnus Mediolanen. An. 518.
S. Auxanus Germanus. An.566.
S. Honoratus Mediolanen. Ann. 568.
S. Joannes Ligur. An. 645.
S. Antoninus Mediolanen. An.670.
S. Mauricillus Mediol. An.673.
S. Ampelius An. 673.
S. Mansuetus Romanus è Sabellorum Gente. An. 677.
S. Benedictus Mediolanen. Ann. 681.
S. Natalis An.749.
S. Bernardus Abbas Claravallensis

ſis electus Mediolan. Antiſtes. Anno 1135.

S. Galdinus Card.S.R.E. An.1166.

S. Carolus Borromæus Mediolanen. An.1560.

Fredericus Card.Borromeus Mediolanen. S.Caroli Conſobrinus atque ejuſdem Virtutum æmulus. An. 1595.



OF-

OFFICIALES

Congregationis Sacerdotum,

Seù Casuum & Sacrorum Canonum sub Titul. B.V., & S. Joan. Nepomucen.

PROTECTOR

Illustrissimus ac Reverendissimus Joachim Portocarrero Patriarcha Antiochenus.

PRÆFECTUS

Illustrissimus ac Reverendissimus Ludovicus Valdina-Cremona Episcopus Hermopolitan.

ASSISTENS I.

Illustrissimus ac Reverendissimus Aloysius Guarchi Episcopus Santorinen.

ASSISTENS II.

Illustrissimus Abbas Antonius Joseph Solari.

SECRETARIUS

R.D. Antonius Gaffori.

Im-